



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 36. Litteræ ad Episcopos Dardaniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Deinde occurrunt opera quorundam Hæreticorum, qualia sunt Tertulliani, Montani, Fausti Manichæi, Tyconii Donatistæ, & quorundam Catholicorum, qui in aliquo articulo a Doctrina Ecclesiæ discesserunt, inter illos recensentur Lactantius Africanus, S. Clemens Alexandrinus, Arnobius, Cassianus, & Faustus Rejenfis. Concilium etiam damnat Notas, & Schedules, quæ Angelorum Nomina præferunt, & generatim omnes libros Hæreticorum, quorum nomina a Simone Mago usque ad Acacium Constantinopolitanum ponit, & Anathemate ferit. Talis est librorum Censura, quæ in hoc Concilio legitur; at antiquorum Exemplorum diversitas dubitandi locum facit, an non Nomina aliquorum Scriptorum, quos Concilium non damnavit, fuerint immixta.

Sæculum V.
A.C. 494.

v. Not. Bal.
ad Lup. Fer.
p. 28. p. 456.

§. XXXVI.

Litteræ ad Episcopos Dardaniæ.

Eodem anno Gelasius Papa scripsit ad Episcopos Dardaniæ, sicut scripserat ad Episcopos Dalmatiæ, eisque gratulatur, quod Communioni S. Sedis, & Ecclesiæ Catholicæ firmi inhæreant; hortatur etiam, ut Societatem Episcopi Thesalonicensis devitent, qui cum sæpius monitus memoriam Acacii nolisset condemnare, a Communione Sanctæ Sedis exclusus fuerat. *Nolite credere*, inquit,

Epist. II.
p. 1196.

G 5

jacti-

Sæculum V. *jaſtantibus, Acacium fuiſſe abſolutum.*

A.C. 494. *Damnatum mors rapuit, nec amplius nobis licet, illum judicare, qui coram Divino Tribunali ſtetit. Nolite etiam credere dicentibus; hic de bonis moribus cauſam verti, non vero de Religione, & S. Sedem Vindiſtæ cupiditate impelli, quod ab Acacio ſpretam ſe exiſtimet. Nam facile intelligitis, quod unacum Hæreticorum nominibus Hæreſin introducere moliantur. Tantum vero abeſt, ut S. Sedes vindiſtam quærat, ut parata ſit Materno affectu in brachia ſua recipere ſui contemptores, ſi modo ſincera mente ad Communionem Catholicam redeant. Hæc epiſtola 3. Aug. Aſterio, & Preſidio Conſulibus anno 494. data.*

Gelaſius Papa deinde ab iisdem Epiſcopis accepit epiſtolas, in quibus commoti videntur illo Schiſmaticorum obtentu, Acacium non fuiſſe legitime condemnatum, quod id non in Concilio, ad diſcutiendam hanc cauſam celebrato, contra urbis Cæſareæ Epiſcopum fuiſſet attentatum. Respondit Papa data ampliſſima epiſtola, in qua totam Acacii Cauſam accurate exponit. *Revolvite, inquit, Acta omnia, quæ ab ætate Apoſtolorum ad noſtra uſque tempora occurrunt, & videbitis, Patres Noſtros Epiſcopos Catholicos, ſi prius in Concilio ſingulas Hæreſes damnaveſſent, ſtatuiſſe, ut quæ ſemel fuiſſent decreta,*

Epiſt. 13.
p. 1199.

creta, inconcussa starent, nec ullatenus esse
ferendum, ut rursus de iis quæstio moveatur; quod sapientissime perspicerent, aliter
nunquam solida futura Ecclesiæ Judicia; quippe quantumvis manifesta sit veritas, tamen Errori, cui pro ratione temeritas est, & perversitas, nunquam, quod objiciat, deest. (*) Ergo Patres judicarunt sufficere, si unacum Auctore suo Hæresin damnarent, & declararent, eadem Damnatione implicandum, quisquis cum eodem errore communicaret. Ita Sabellius in Concilio Nicæno, ita Ariani in Concilio Næstorianum, ita Eunomius, Macedonius, Nestorius damnati. His omnibus mature pensatis, confidimus, nullum verum Christianum posse ignorare, Primæ Sedi præprimis competere, ut exequatur Conciliorum Decreta, consensu Ecclesiæ universalis approbata, cum eadem Sedes Concilia sua Auctoritate confirmet, & vi Primatus, ut Canones observentur, invigilet. Meminisse hic oportet, Gelasium Papam ita loqui.

Sæculum V.
A. C. 494.

p. 1290.

De Primatu
Ecclesiæ Romanæ.

Inde prosequitur: Cum Sacræ Sedi rationibus certis constaret, Acacium a Communione Catholica recessisse, fidem tamen diu non adhibuit, & incredibile id videbatur de Episcopo, qui sæpe Ecclesiæ Romanæ

(*) Tota hæc S. Gelasii Dissertatio contra Protestantes tam solida est, & clara, ut nihil magis

Sæculum V. *Romanæ Decreta adversus Hæreticos executioni dederat.* Per annos ferme tres A.C. 494. *datis ad eum litteris monitus est, ut converteretur.* Sup. XXIX *Missi ad ipsum cum epistolis*
S. 58. *Episcopi, qui hortarentur, ne se ab Unitate Catholica separaret, sed vel ipse veniret, vel Mandatarios mitteret, seque contra accusationes graves Joannis Episcopi Alexandrini defenderet. Nam quamvis Concilium celebrari non oporteret, nullus tamen alicubi terrarum Episcopus degebat, qui recusare jure posset Judicium Primæ Sedis, ad quam Secundæ Sedis Episcopus, qui alium Judicem non habebat, se converterat.* Sup. S. 14. *Acacius, cum satisfacere debuisset, Legatos corripit, & ut S. Sedem in Communionem Hæreticorum pertraheret, nihil non movit; in litteris vero suis professus est, se cum Petro Alexandrino communicare; eundem laudavit, & Joannem reprehendit. Interim nec ipse venire ausus est, nec mittere, qui a se dicta probarent. Ergo Acacium Concilii Calcedonensis Decretis damnatum, Sacra Sedes a sua Communionem removit, ne in Communionem Petri Alexandrini, quocum Acacius communicabat, incideret.*

Ita Timotheus Elurus, & Petrus Alexandrinus, qui secundæ Sedis Episcopi credebantur, absque novo Concilio Solius Sacræ Sedis Auctoritate damnati, & accusante Acacio damnati fuere. Jam ostendant,

dant nostri Adversarii Petrum fuisse ab-
 solutum! Nemo in Ecclesia ignorat, S.
 Petri Sedem habere Potestatem a Judiciis
 omnium Episcoporum absolvendi, & to-
 tam Ecclesiam judicandi, nemini vero Jus
 esse Ejus Judicia reformandi, cum Canones
 præcipiant, ut ex omnibus Mundi plagis ad
 hanc Sedem appellare, non autem ab Ejus
 Sententia ad aliud Tribunal liceat. Ita-
 que Acacio nulla potestas fuit absolvendi
 Petrum sine Sacrae Sedis consensu, cujus
 Sententia damnatus fuerat. Edicant; cu-
 jus Concilii Auctoritate id fecerit Aca-
 cius Simplex Episcopus Metropoli Hera-
 cleensi subjectus?

Sape etiam sine præcedente Concilio
 Sacra Sedes illos absolvit, quos Concilium
 injuste damnaverat, & damnavit, qui
 damnari merebantur. Hic Gelasius Pa-
 pa Exempla S. Athanasii, S. Joannis
 Chrysostomi, & S. Flaviani adducit. In
 hoc ultimo diutius moratur, & dum La-
 trocinii Ephesini meminit, inquit: Con-
 ciliium illegitimum, scilicet Scripturae, Pa-
 trum Doctrinae, & Canonibus adversum,
 a tota Ecclesia, & præprimis a S. Sede re-
 jectum, potuit, & debuit reformari a Con-
 cilio Legitimo, ab omni Ecclesia recepto,
 & a S. Sede approbato, econtra Concilium
 semel legitimum nulla ratione infirmari
 potest. Quæro igitur ex Adversariis, in-
 quit ulterius, quid de Eutyche sentiant,

an

Sæculum V.

A.C. 494.

Causa Acacii.

p. 1104.

Sæculum V. an Hæreticum credant, vel orthodoxum?
A. C. 495. si Hæreticum esse non credunt, quid tot
 ambagibus opus est? dicant aperte, Euty-
 chianos se esse; etsi enim non dicant, satis
 tamen apparet, quod pertinaci illa concor-
 dia cum illis, qui cum istis Hæreticis com-
 municant, nobis callidissime insidientur, ut
 Nos in eundem Errorem, quem non au-
 dent nominare, inducant. Si vero nega-
 re erubescant, Eutychem esse Hæreticum,
 necessarium omnino est, ut Concilium Cal-
 cedonense approbent, & fateantur, quem-
 cunque, qui a Fide hujus Concilii recessit,
 aut cum illis, qui recesserunt, communica-
 vit, eadem condemnatione implicari abs-
 que ulla novi Concilii Necessitate.

p. 1205.

S. Gelasius
 contra Ori-
 entales.

Edicant! cujus Concilii Decreto ipse
 Acacius Joannem secundæ Sedis Episco-
 pum, cui nullus error in fide Catholica ob-
 jiciebatur, deposuerit, ut Petrum manife-
 ste Hæreticum, & a se ipso antea damna-
 tum, in ejus locum sufficeret? Cujus Con-
 cilio Potestate idem Acacius Calendionem
 tertiæ Sedis Episcopum sua Sede pelli jus-
 sit? & quo jure tot alios in toto Oriente
 Episcopos Catholicos irreprehensibiles eje-
 cit, quibus homines multis criminibus in-
 fames substitueret? forte quispiam mihi
 opponat Imperatoris Potentiam? cur er-
 go, quando voluit, restitit Basilisco Ty-
 ranno, & ipsi Zenoni Imperatori, juben-
 ti, ut cum Petro Antiocheno communica-
 ret?

ret? ergo etiam, si voluisset, eidem in cæ-
 teris resistere potuisset. Imo Zeno Im-
 perator in Epistolis suis fatetur, nihil se
 sine Acacii consensu egisse, quod & ipse
 fatetur Acacius. Si solus non sufficiebat,
 qui se Imperatori opponeret, cur in
 Præsidium non vocavit sacram Sedem?
 ita junctis conatibus facilius Imperatori
 meliora persuasissimus. Fingamus inter-
 im, nullum extitisse Concilium, cujus
 Decreta S. Sedes exequeretur, quæso!
 quibuscum in Causa Acacii Concilium
 agendum fuisset? an cum illis, qui, ut o-
 mnes noverant, malefactorum complices,
 & conscii erant, qui in locum Episcopo-
 rum Catholicorum summa vi, & inju-
 ria ubique ejectorum, intrusi fuerant, &
 cum Hæreticis communicabant? Ergo
 Concilium convocare in illo rerum statu
 nec possibile erat, nec stante Concilio Cal-
 cædonensi necessarium.

Porro risu dignum existimavimus il-
 lud, quod Acacio Prærogativam tribuere
 velint eo ex fonte, quia Episcopus in Ci-
 vitate Imperiali fuit. Quasi vero Impe-
 ratores non multo tempore Ravennæ, Me-
 diolani, Sirmii, Treviris habitassent? an
 ideo illarum Civitatum Episcopis inmen-
 tem venit, ut limites ab Antiquitate sibi
 positos transilirent? (*) si a Civitatum
 ampli-

Sæculum V.
 A. C. 495.

p. 1206.

p. 1207.

(*) Ecce Protestantis nostri cavillationem
 jam

Sæculum V. *amplitudine, & dignitate Episcoporum*
 A. C. 495. *Potestas desumenda est, baud dubie Epis-*
 copi *secundæ, & tertiæ Sedis Dignitate*
superant Episcopum Civitatis, quæ ne-
quidem Jure Metropolis gaudet. Nihil
Potentia Imperii Sæcularis, & Dignita-
tum Ecclesiasticarum gradibus commune
est. Minimæ Civitatis obscuritas Maje-
stati Principis, qui ad eam divertit, obesse
non potest; ita etiam Imperatoris præ-
sentia Ordini Religionis Hierarchico non
nocet; sed magis tali Civitati incumbit,
dum occasio favet, Libertatem Religionis
tueri, & Modestia exemplum aliis præ-

De Potestate
 Papæ.

bere. Sequantur Exemplum Imperatoris
Marciani, qui cum impetrare non potuis-
set, ut altior gradus Episcopo Constanti-
nopolitano tribueretur, nihilominus ma-
gnis laudibus Leonem Papam S. Memoriae
prosecutus est, quod Canonum Auctorita-
tem strenue defendisset. Sequantur Ex-
emplum Episcopi Anatolii, qui dicebat,
hanc Postulationem magis a Clericis, &
populo Constantinopolitano, quam a se ur-
geri; decerneret Pontifex, quod magis e
Re Ecclesiæ videretur. Imo Sanctus Leo,
qui

jam ab annis mille explosam! Decebat vero, ut
 ex singulari Providentia Dei, omnia non solum
 potenter, sed etiam sapienter disponentis, Pe-
 trus, & Successores ejus, Romæ federent, quia
 hæc Urbs Mundi Caput erat.

qui Acta Concilii Calcedonensis confirma-
 verat, tamen nova omnia, quæ Canonibus
 Nicenis, & Mandatis, quibus Legatos
 suos oneraverat, repugnabant, irrita pro-
 nunciavit. Simplicio Papa sedente, Pro-
 bus Episcopus Canusinus S. Sedis Legatus
 coram Imperatore Leone viriliter defen-
 dit, illam Postulationem Episcopi Constan-
 tinopolitani nullo jure fundari.

Tandem ut omnem tricandi occasio-
 nem extinguat, Gelasius Papa profitetur,
 sententiam contra Acacium in aliquo
 Concilio Italiæ fuisse pronunciatam, non
 obstante, quod solius Papæ Nomen in
 fronte gerat; illam enim secreto mitte-
 re necessarium fuisse, quia viæ omnes
 ab exploratoribus obsidebantur, & Epis-
 copi Orientis suis Sedibus pulsi congregari non poterant. Itaque S. Sedem
 Concilium ubi potuit, & quibuscum po-
 tuit, egisse. Talis est Epistola Gelasii
 Papæ ad Episcopos Dardaniæ prima Febr.
 Victore Consule, id est, anno 495. data.

§. XXXVII.

Alia contra Acacium scripta.

Sanctus Gelasius Papa in priori Epistola
 promittit, ampliora se documenta in
 Causa Acacii producturum. Habemus
 etiam monumenta tria ab ipso ad nos
 transmissa. Primum est fragmentum,
 Hist. Eccles. Tom. VII. H quod